

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

September 9, 1992

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. On human nature

Cum igitur homo secundum Ysidorum sit animal deiforme, mansuetum natura, secundum legem rationis discipline susceptibile, diuinam habens ymaginem in potentia cognoscendi et similitudinem in potentia diligendi, ad hoc vt rudibus et paruulis hominis proprietates manifestius innotescant, a partibus eius ex quibus est compositus est breuiter inchoandum; et primo a natura digniore, scilicet ab anima, secundum quam cum substantia angelica conuenit ac concordat, quia secundum illam supra naturam corporis homo ad celestia eleuatur. Nam sicut dicit Ysidorus, abusiue est homo ab humo dictus, cum ex societate non tantum corporis sed anime sit concretus. Et ideo grece antropos, id est sursum erectus, appellatur, eo quod ab humo ad contemplationem sui artificis spiritus regimine subleuatur.

Vnde poeta:

"Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit celumque videre
Iussit et erectos ad sydera tollere wltus."

Homo itaque celum querat et non, tamquam pecus ventri obediens, mentem in terra figat.

2. Potiphar's wife makes a pass at Joseph

Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, et ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, praeter te, quae uxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? Huiuscemodi verbis per singulos dies, et mulier molesta erat adolescenti: et ille recusabat stuprum. Accidit autem quadam die ut intraret Ioseph domum, et operis quippiam absque arbitris facere: et illa, apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, et egressus est foras. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suae, et ait ad eos: En introduxit virum hebraeum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem, et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras.

3. Why there is a weather-cock on the church tower

Multi sunt presbyteri qui ignorant, quare
super domum Domini gallus solet stare;
quod propono breviter vobis propalare,
si vultis benevolas aures mihi dare.

Gallus est mirabilis Dei creatura,
et sic bonus presbyter eius fit figura,
qui praeest ecclesiae animarum cura,
stans pro suis subditis contra nocitura.

Supra crucem positus gallus contra ventum
caput diligentius erigit extentum;
sic plebanus, ubi scit praedonis adventum,
illi se obiiciat pro grege bidentum.

Videmus, quod piger est gallus aliquando
 sive levis nimium contra ventum stando;
 sic multi presbyteri quasi dormitando
 locum dant diabolo, praedoni nefando.

Gallus regit plurimam turbam gallinarum,
 et sollicitudinem magnam habet harum;
 sic plebanus, capiens curam animarum,
 doceat et faciat quod sit Deo carum.

4. An admonition against drunkenness

Unum adhuc uellem preponere huic libello non quasi prefationem, sed quasi ammonitionem, scilicet cauende ebrietatis, sicut dominus in leuitico ad aaron his uerbis locutus est: dixit dominus ad aaron, "Unum et omne quod inebriari potest non bibes tu et filii tui quando intratis tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia preceptum est sempiternum in generationes uestras, et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et prophanum, inter pollutum et mundum." In nouo testamento quoque dominus ammonuit discipulos suos his uerbis dicens, "Adtendite autem uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula et ebrietate et curis huius uitae, et superueniat in uos repentina dies illa." Tantum uitium est aebrietas, ut paulus apostolus et doctor gentium adtestetur ebriosos regnum dei possidere non posse. O quam beati sunt qui deo uiuunt et non seculo, uirtutibus et non uitiiis; et quamuis sanctorum patrum ieiunia uel abstinentiam non ualeamus imitari, nequaquam tamen debemus eneruiter succumbere nefandis crapulis et aebrietatibus, domini nostri et dei terribilibus commoniti comminationibus.